

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qualitatibvs Ad Ea
Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

499. Quis sint primitiæ, & quo jure debitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](#)

Injustitiam adversus Ecclesiam, utpote cui non debabantur fructus nisi collecti, nec ratione debiti contracti ratione collectorum fructuum, utpote quos neglexit colligere. Posse tamen Ecclesiam compellere dominum, ut fructus debite colligat, fundumque colat, quod si noluerit, posse eam constitutre colonum.

7. Denique postquam fructus decimales à reliquis fructibus sunt separati & designati, eorum dominium directum & utile spectare ad Ecclesiam, etiam si actualis traditio, sive realis apprehensio nondum sit secura, tradit Pirh. n. 155. juxta l. ut inter. & l. ult. c. de SS. Ecclesiis. ubi dicitur, quod dominium rerum Ecclesiis, vel aliis locis piis venditarum, donatarum, vel alio hujusmodi titulo debitarum, statim etiam ante traditionem ipsis acquiratur ob speciale privilegium. vide Gl. in c. ex moderamine Laym. Theol. moral. l. 3. tr. l. c. 5. n. 8.

Quæstio 499. Quid sint primitie, & quo jure debita?

1. R^Espondeo: primitie, ut in præsente accipiuntur, sunt primi fructus (intellige tempore, non bonitate, id est optimi. Pirh. n. 169.) agrorum, vinearum, hortorum, arborum (cum in animalibus dicuntur primogenita) immediatè oblati Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ, & in recognitione illius tanquam summi benefactoris, quamvis deinceps dant in usus & alimenta Sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ; cum interim decimæ sint certa pars fructuum, & immediet dentur ministris Ecclesiæ tanquam stipendium ob

spiritualia ministeria, & mediata in recognitio nem supremi dominii divini. Castr. l. viii. p. 16^a num. 1. Pirh. loc. cit. & apud hunc Less. cit. c. 39^a num. 30. Azor. p. 1. l. 7. c. 27. q. 6.

2. Respondeo ad secundum: nullum est præceptum juris naturalis, obligans ad colendum Deum per oblationem primitiarum, cum is aliis modis & oblationibus coli possit, & exhiberi erga illum gratitudo. Pirh. num. 7. Suar. c. 8. num. 4^a Azor. loc. cit. q. 5. Less. num. 31. Olim in Lege veteri debebantur jure divino positivo, ut contat ex c. 18. Numeror. & 33. Exod. & Malach. 3. In Lege nova vi præcepti merè humani debebantur olim Sacerdotibus & ministris Ecclesiæ. Argumento c. præter. d. 32. c. revertimini. 16. q. 1. & c. decimis. 16. q. 1. apud Pirh. num. 172. & Castr. loc. cit. n. 2^a. Ita tamen, ut semper liberum fuérit, in qua quantitate dare vellent. Less. num. 23. Azor. q. 4. Hoc die verò obligatio solvendi primitias in plerisque locis per desuetudinem seu contrariam consuetudinem est abolita. Suar. loc. cit. num. 16. Pirh. & Castr. l. cit. De cetero, spectato jure communio, ubi adhuc solvi debent, debentur illi parochiæ, in qua sita sunt prædia; sunt enim, uti & decimæ onus reale prædiorum, non personale, adeoque & solvenda à Clericis.

Vide Barbol. de off. parochi.
c. 27. n. 8. & 9.

* * * *
* *

